



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 6. Et gauisi sunt. v. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

ne & ego eum vobis tradam? Et quid aliud potuit expectari ab eiusmodi homine nisi omne malum quem iam non ratio, non pietas, non honestas sed ipsam regebat diaboli suggestio.

**O** Latro pessime, quis te mercatorem facit non magister tuus, non eius instructio; sed tua auaritia, sed tua maledicta cupiditas. Quis te induxit facere huiusmodi nundinas: nisi tua malitia: quis te induxit pretium ponere tuorum mercimoniorum in voluntatem emptorum? certe non nisi tua falsitas. Omnia ista non didicisti in schola sancta Magistri tui Domini nostri Iesu Christi. Sed docuit te magister tuus diabolus, cuius discipulum te fecisti, qui ex te Apostolo fecit latronem, mira metamorphosi, sed inter Apostatas à se de non infrequenti exemplo, & imitatione.

§. 6. Et gauisi sunt. v. 5.

Impij, cum malefacere posse se vident, lætantur, ira hi principes, inimici Christi, in eius ruinam congregari lætabantur de Iudz malevolentia, impietate, proditione & occasione offerente se tam ultionem, quasi magno bono suo, quæ tamen reuera erant magnum malum eorum. Ita sane faciunt omnes peccatores, si furti, si rapinæ, si adulterij, si homicidij in inimico patranti spes affulget micant oculi, gestiunt manus, pedibus stare nesciunt.

**D**omine Deus fateor multos ita esse dementes & vecordes, vt cum hi principibus gaudeant de occasione mali patranti, veruntamen scio & expecto multos esse etiam, qui æque imo feruentius gaudeant de occasione boni patranti, vel bene patiendi, oblata sibi. Ita certe faciebant illi Martyres tum veteris tum noui orbis qui dolebant, si Martyrij occasio eis periret, gaudebant cum adueniret, in quorum numero est merito recensenda illa Felicitas, quæ cum tempus martyrij differretur ei, quod esset grauida, est contristata.

§. 7. Et pacti sunt pecuniam illi dare. v. 5.

Expleto eorum iniquo desiderio occasionis ad malum, quid aliud expectari poterat quam & iniqua cooperatio, & offerentis tam optate rei munus compensatio. Itaque pro scelere pessimo, pacti sunt pecuniam dare, vt mercedem iniquitatis, & constituerunt triginta argenteos, & sic habuit Iudas proditor quod quærebat triginta scilicet argenteos, pro trecentis denarijs in conuiuio Bethaniensi sibi præreptis vel elapsis, munificentiariæ Mariæ Magdalene erga Christum de qua iactura conquestus murmurat.

**A**udi pactum, audio pecuniã, & video personas Ecclesiasticas & veteris & noui Testamenti, aduerto etiam quod de re omnium Sanctissima

tempore